

102

11

I. N. J.

DE

POLITICORUM
ÆQVIVOCATIONE,

IN ILLUSTRISS. LEUCOREA,
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
SENATUS INDULTU,

Sub

PRÆSIDIO

M. JOHANNIS Dünnehaupst/
Quedlimburgo-Saxonis,

Poët. Laur. Cæsar. SS. Theol. Cultoris & Alumni
Electoralis,

Die III. Novembr. A. O. R. clc lcc XXCIIX.

Quadantenus adumbrata

In Auditorio Philosophorum

Publicè differet

CONRADUS HENR. Werkmeister/

Quedlimburgensis - Saxo,

Phil. Studios.



WITTEBERGÆ,

Typis MARTINI SCHULTZII.



POLITICORUM
REVIVOCATIONE

IN ILLUSTRIS LEUCOREA

MAJESTATIS THEOLOGICORUM
SENATUS INDULTU

PRÆSIDIO
M. JOHANNIS

Quedlinburgensis Saxoniae

Poet. Lat. Cæsar. St. Nicol. Curator & Alumnus

Electoralis

Die III. Novembris A. O. R. de J. C. M. C. C. L. X. V.

In Auditorio Philoſophorum

CONRADUS HENR.
Quedlinburgensis - Saxo

Phil. studiosus



WETTERBERG

Typis MARTINI SCHULTZII





I. N. J.

*Christe Dei Patris sanctissima lingua, labores
Fortuna, fraudes qui reprobare volunt.
Ut nostro veri lux luceat aurea cepto,
Et nomen celebrent pectora nostra Tuum.*

PROOEMIUM.

Magni sane aureus virtutum splendor fuit aestimatus, si temporum priorum Scriptoribus fides est habenda. Certè profectò si *Senecam* è cineribus revocatum sistere possemus, ejus de virtute sententiam audituri, nihil sanè responsi daret, præter illud, quod in Epistolis consignatum est, encomium, quod videlicet *nulla possessio, nulla vis auri & argenti, pluri quam virtus aestimanda sit.* Tanta quippe virtutis gratia est ac aestimatio, ut ne mortuis quidem gratiæ suæ rivulos subtraheret, quid igitur de vivis erit existimandum? *Nulli non, inquit Seneca l.c. virtus & vivo & mortuo retulit gratiam, si illam bonâ secutus est fide. Nulli præclusa est virtus, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, non eligit Dominum, non censum, nudo homine contenta est.* Suffragante eodem *Seneca* loco cit. Id quod cum *Plautus* accuratiori rationis lance ponderaret, dignitatemque ac nitorem virtutis animi oculis aliquantò inspiceret penitiùs ac specularetur, virtutem in *Amphit.* ita commendare amabat:

Virtus premium est optimum; Virtus omnibus

Rebus anteit profectò: Libertas, salus, vita,

Res, parentes, patria & prognati tutantur, servantur:

Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus.

Quemadmodum verò virtus eò honorum est evecta ut al-

A. 2

tius

titis extolli vix queat; Ita è contrario vitia non ultimum occupasse locum videntur, & quidem eà boni specie induta, ut, si virtutibus non absolute præponantur, earum tamen numero adscribantur à nonnullis quàm maximè. Quò autem à fūco ejusmodi nobis caveamus, sapienter svadet Hieronymus ad Demetr. scribens: *Summa tibi scientia, summa notitia sit, vitia virtutesque distinguere; quæ, quamquam sibi contraria semper sint, aliqua tamen ex eis tantâ junguntur similitudine, ut discerni omnino vix possint.* Talibus autem vitiis annumerari æquivocationem, facile constat, quandoquidem veracitati contradicit, dum aliud ore profertur juxta ac enunciatur, aliud verò in animo reservatur, id quod enunciato minimè respondet. Notandum verò est, æquivocationem hic loci significationem habere politicam, ac præter elusiones dolumq; ac reservationes mentales, nihil denotare, quarum tenore enunciatur aliud, aliud vero tacitò sub pectore geritur, eò quidè fine, ut non interrogans modò, verum & ipsa res interrogata citra fidei læsionem non eludantur. Quib9 positis, æquivocationes Logicorū, nec non eas, quæ Rhetoricis debentur, ab hac tractatione excludimus, acturi illud unicè, ut pro temporis & pagellarum ratione quædam subjiciamus ζήτηματα, num in illis æquivocationibus uti liceat, inquirendo.

*Tu vero, Soboles veri verissima Patris,
Vera doce mentem, falsa fugare doce.*

QVÆSTIO I.

An, quando cum hoste fœdus inicitur, uti liceat æquivocatione?

§. I. Fœdera iniri juxta ac confirmari posse, nemo est, qui ignorare debeat, præsertim si in Politicorum theatro amet versari. Quod si enim aliqua rerum communio efflorescere debeat ac suâ felicitate quasi redundare, consultum sanè est & commodis non paucis munitum, quando fœdere cum aliis pacto (at citra periculi alicujus illationem & ruinæ) rebusq; ac viribus auctis majora capit incrementa ac fortior evadit. *Summa fœderum in republica necessitas est, inquit D. Georg. Schönborner. IV. Politicorum libro, c. 34. p. m. 382. summa utilitas, si tutiore loco rempublicam consistere volueris, si fortio rem civium*
manum,

manum, audaciorēq; animorum impetum desideraveris, nullum aliud remedium est, quam fœderum sancta custodia. Functi sumus omnes in hac mundana statione, ad præstandū mutuum auxilium & c.

§.II. Quibus autem rationibus fœderum pactio suscipiatur, ab hoc quidem instituto cum rigore non poterit exigi, nihilominus tamen ex abundantia quasdam adjiciemus, haud ingratas lectori benevolo futuras. De *Scythis* referunt *Solinus* c.25. *Florus*q; lib.IV.c.1. ac *Herodotus* lib.IV. quod haustu mutui sanguinis fœdera inita soleant confirmare. *Solini* verba hæc sunt: *Haustu mutui sanguinis fœdus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorumq; usitata disciplina.* *Florus* d. I. scribit: *Additum est pignus conjugationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere.* Videatur & *Sallustius* in *Catil.* c.22. *Lipsius* in *Tacit.* *Saxo Grammaticus* *Hist. Dan.* lib.1. *Siquidem ieturi fœdus veteres, vestigia sua mutui sanguinis asperione perfundere consueverunt, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi.* De *Baucais* recenset *Herodotus* lib.3.4.5. quod fœdus sancire consueverint super occultam fossam, tamque diu fœdus integrum fore ac illæsum, & regioni maximum afferre emolumentum, quamdiu humus ea ita se haberet, opinantes. *Perse*, attestante *Alex.* lib.5.c.3. *inter vinum & epulas, frequentiq; convivio, uxores, filios amicosq; omnes habent, & tanquam fidei pignora adhibent, ibiq; inter sacra mensæ, velut apud hospitales Deos fœdera & pacta ineunt, & sic fidem socialem ratam, & mansuræ pacis pignus inviolabile esse, putarunt.* Inter *Henricum IV.* Imperatorem & *Paschalem Romanorum Pontificem* perceptione corporis & sanguinis Domini pacem fuisse confirmatam, testatur *Sigebertus*. Alii juramento ac solenni preceatione alii subscriptione confirmant. Plura qui desiderat, consulat *Schönbornern*/loco supra citato. Et *Venedelinum* in *Institut. Polit. Schönborners contractis* Lib.II. c.27. p.m.315. seq. *D. Job. Frid. Scharffium* *Dissert. de Fœderibus* habitâ An.1670. Aliosque.

§.III. Cum quibus verò ineunda sint fœdera, quæritur? De fidelibus nullum sane dubium præsertim si in proximo habitent, fideles enim inter se amicitia vinculo ita conjuncti sunt, ut mutuô sui amore flagrent, id quod *Seneca* splendidum sapientia Lumen accurate cognovit, *Epist.* 109. scribens: Sa-

pientem non posse in habitu sua mentis stare, nisi amicos aliquos si-
 miles sui admiserit, cum quibus virtutes suas communicet. & Cice-
 ro pro Cluent. ait, Magnam vim habet ad conjungendas amicitias
 studiorum ac natura similitudo. Contrà vero dispares mores di-
 sparia studia sequuntur. Afferente eodem in Lelio. Dissimilitu-
 do morum, distantia vite & ingenia contraria solvunt amicitiam;
 Amicitias probatas enixè expete, constanter retine, perenniter ser-
 va; Inimicitias indictas exerce honeste, tarde crede, celeriter de-
 pone. Seneca in Epist. Hæc et similia abundè probare videntur,
 fœdera salvò jure cum fidelibus iniri posse juxta ac debere.
 Ut juris Naturæ testimonium addam præcipientis, ut illud,
 quod nobis exoptamus, alteri eodem exhibeamus modo.
 Quod si igitur ab aliis amari malumus, quidni etiam debi-
 tò amoris ardore excipiamus alios & prosequamur? Egregie
 Marilius lib. 2. Astro. canit:

Idcirco nihil ex semet natura creavit

Pectore amicitia majus, nec rarius unquam.

Unus erat Pylades, unus qui mallet Orestis

Ipsè mori, lris una fuit per secula mortis.

Alter quod raperet fatum non cederet alter.

Et duo, qui potuere sequi, vix noxia pœnis.

Optavitq; reum sponsor non posse reverti

Sponsoremq; reus timuit, ne solveret ipsum.

§. IV. An vero cum infidelibus juxta ac hostibus
 ineunda sint fœdera, non pauci sunt, qui dubitant, quare fa-
 cile constat in utramq; partem de hâc materiâ disceptari.
 Qui affirmativæ calculum suum adjiciunt, sequentes in primis
 amplectuntur rationes (1) Defensionem à natura cuiq; permitti,
 neq; interesse, quâ quis ratione se defendat per se vel per alium, unde
 jura etiam ignoscere ei, qui sanguinem suum qualitercunq; redimere
 satagat lib. 1. in fin. ff. de bonis eorumq; (2) Deum quoq; usum esse Gen-
 tium ministerio in puniendo populo Israelitico (3) Contrahi ejusmodi
 fœdera urgente maximâ necessitate, quæ legi subjecta non sit. (4) Lice-
 re insidias hosti struere quovis modo, unde & infideles in societatem
 ejus rei persiciende admitti posse (5) Fideles posse succurrere infideli-
 bus, ergo infideles quoque fidelibus (6) Ex ista cum infidelibus con-
 fœdera-

federatione dissensiones nasci inter infideles, quibus se mutuo confi-
ciant. (7) Justinianum Imperatorem aperte profiteri, se letari, quod
pacem perpetuam cum Rege Persarum inierit. lib. 2. Cod. de
Offic. praefect. praetor. Quas rationes D. Schönborner / dili-
genti scrutatione investigat juxta ac examinat omnes verò
approbandas esse, minimè censet, dum confutationem subji-
cit quibusdam, quibusdam verò locum concedit ac pondus,
sed cum certâ limitatione. lib. IV. Polit. cap. 36. p. m. 390. seq.
Et ex eo Wendelinus in Institutionibus Politicis è Schönbor-
ners Polit. contractis, lib. II. cap. XXVII. de fœderibus Thef.
VI. p. m. 317. seqq. Quibus tamen Wendelinus loco cit. p. 321.
coronidis loco hæc subjicit. *Fœdera diverso sanciri sine vel ut fœ-*
derati, invicem se tantum non ledant vel ut non tantum se non
ledant vel offendant, sed & auxilia adversus hostem vel communem
vel partis alterutrius mutua ferant. De prioris generis fœderibus
nulla inter Politicos est controversia, quæ presentem attingat quæsti-
onem, de posteriori genere accipienda auctoris (np. Schönborners)
quæstio.

S. V. Nos præmissis modò aliorum judicio relictis il-
lud pro instituti ratione sumus investigaturi: *An, quando cum*
infidelibus vel etiam hostibus fœdera sanciantur, (sive illud de ju-
re fiat sive non, nobis enim sufficet de facto talia sanciri fœ-
dera) æquivocatione liceat uti? Id quod facile negatum ire
possumus, præsertim si perspectum nobis sit juxta ac explo-
ratum, quod altera fœderatorum pars, nimirum hostis, cum
quo fœdus sancitur, animi sui candorem exponat, atq; ab o-
mni æquivocationis nota se præstet alienam, tunc enim vel
ipsa juris naturæ regula nobis suadet, ut illud alteri præste-
mus, quod ab eo nobis malumus exhiberi. Ecquis autem eo
pervenerit dementiæ, ut pro animi candore ac sincero affe-
ctu insidias ab altero fœderis membro sibi exoptaret? Quod
si verò illud omnes à nobis devolvere malimus, desideratu-
ri, ut vel in tranquillâ securitate vivere, vel ut in mutuo ad-
versus hostes auxilio citra ullum animi fucum dolumq; ac e-
lusionē spè collocare valeamus certissimam, nos ut idem alteri
fœderis parti exhibeamus, quam maximè necesse est. Aure-
um sanè fides vinculum est & in eo potissimum conservatur,
si ver-

fi verba promissis compleantur. Unda Gregorius homil. 29. scribit: Tunc enim veraciter fideles sumus, si, quod vobis promittimus operibus complemus. Hac etiam illud Claud. lib. 2. Stiliconis laud. aliquid facere videtur:

Hac (np. fides) & amicitias longo post tempore firmat,
Mansuroq; adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium, parva strepitu nec vincula noxa,
Dissolvi patitur, nec fastidire priorem
Allicitur veniente novo, benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterq; minoris
Officii magniq; memor superare laborat,
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.

§. VI. Præterea veritatem esse enunciandam, præsertim in rebus ejusmodi graviorib9, nemo ignorat, si nulla obster ponderosa causa, cujus gratia possit aliquando reticeri. Ita scribit Meisnerus Phil. Sobr. Part. III. Sect. I c. VII. Qv. I. membr. III. concl. 5. p. m. 272. Quantumvis veritatem quandoq; prudenter dissimulare possimus, nunquam tñ. & in nullo penitus casu licet eandem negare, negationem juramento æquivoco confirmare, & audientes ita decipere, sicut etiam promissa & pacta per dolosas æquivocationes non sunt eludenda. Eluduntur autem quam maxime, quando æquivocationes ejusmodi retinentur. Optime Demosthenes, interrogatus, quid homines Deo haberent simile, respondit: *Benigne facere & veritatem amare.* Et Aristoteles: *Duo sunt opera sapientis, non mentiri, & mentientem posse manifestare.* Et libro IV. Ethic. c. 7. scribit: *Per se mendacium malum & vituperandum est.* Quid ergo est æquivocatio ejusmodi dolosa aliud quam mendacium? quâ ore aliud enunciatur, aliud verò reservatur in animo? Animos honestos atq; pietate coruscos talia non decet. Hinc triti illi videantur Senarii:

Mendacium odit, qui vir est frugi, & sapit,

Quæ vera sunt, loqui virum ingenium decet.

Et Cicero libro 3. officior: *Quod affirmaveris, quasi Deo teste promiseris, id tenendum est. Et nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt, quoniam, qui dicunt, fidem nullam esse, quæ infideli datur, viderint, ne quærant latebram perjurio.* Addatur & Augustinus scribens: *Qui veritatem occultat*

tat

rat, & qui prodit mendacium, uterque reus est, ille, quia prodesse non-
vult, iste, quia nocere desiderat: libro de agone Christi.

§. VII. Ex quibus constat, æquivocationes illas nihil in-
tendere, nisi fraudes & pravas insidiarum structuras, quas
dum à nobis averruncare molimur, idem agere tenemur ut ne
aliam fœderis pacti partem insidiis persequamur. *Gravissimum inimicitia genus, esse corde adversarios, & linguâ simulare de-
votos. Cassiodorus in Psalm. 54. Quin imò insidiatoribus non-
nunquam grave imminet periculum cum ruina conjunctum, id quod ex sequenti historiâ poterit comprobari, quam ex
Plutarcho de virtute mulierum p. 246. in benevoli Lectoris
gratiam sum allaturus: Cares, qui Cryassam incolebant, Melios
secum habitare iusserunt, partemq; agri sui impertiverunt. Deinde cum
viderent, eos brevi temporis spatio magna fecisse incrementa, per insi-
dias eos interficere statuerunt, convivio ad hoc instructo. Forte Vir-
go quædam Caria, nomine CAPHENA, NYMPHÆUM, Meliorum
Præfectum amabat, quæ, cum ista agerentur, non sustinens salutem
Amasii negligere, consilium ei civium aperuit. Cum ergo Cryassenses
venirent, eos vocatum, respondit Nymphæus, moris non esse Græcis, ad
cænam venire sine mulieribus, quo audito Cares, eas ut secum adduce-
rent, iusserunt. Tum Nymphæus re Melius expositâ ipsos tunicatos &
inermes secum ire ad cænam iussit, mulierum autem quamq; gladium
sub sinu gestare & suo marito assidere. Sub mediam Cænam, cum Ca-
res tesseram dedissent, Græci articulum temporis rei gerenda adesse
sentientes, simul omnibus uxoribus sinus pendentibus gladios arripue-
runt, barbarosq; adorti universos interfecerunt, agroq; & urbem eâ po-
titi, aliam novam condiderunt, Cryassamq; novam appellaverunt.
CAPHENA a NYMPHÆO nupsit. Videatur Magiri Polymnemō.
p. 600. Plura adderem, nisi temporis angustia me revocaret.*

QVÆSTIO II.

An in fide Hæretico danda æquivocatio debeat adhiberi?

§. I. Fidem Hæretico dari posse, vix dubitabit quisquam, præ-
sertim si quid emolumenti illudque non exiguum videatur
redundare. Sic Magistratus subdito Hæretico in rempubli-
cam recepto fidem dare potest, se eum esse contra aliorum
offensiones defensurum, si idem ille subditus Magistratui mo-
rem gerat fidemque à subdito requisitam illam servet ac in-

B

viola-

violatam. Huic accedit & illud, quod Magistratus aliquis præsertim Superior in eo fidem dare possit Heterodoxo, (qui ex Pontificiorum opinione Hæretici plerumque nuncupantur) quando salvum ipsi conductum pollicetur. Exemplum habemus in Sigismundo Romanorum Rege, ac Imperatore, qui Johanni Hussi salvi conductus fidem dedit. In benevoli & candidi Lectoris gratiam ipsas Sigismundi literas addam, & eâ quidem verborum serie ac connexu, quò Jesuita Rosveidus in Dissertat. de fide Hæreticis servanda cap. 3. eas reliquit:

Sigismundus Dei gratiæ, Romanorum Rex semper Augustus, & Hungariæ, Dalmatiæ, Croatia Rex Universis & singulis Principibus, Ecclesiasticis & secularibus, Ducibus & Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Proceribus, Militaribus, Clientibus, Capitaneis, Potestatibus, Gubernatoribus, Præsidibus, Publicanis, Officialibus, quibuscunque civitatum, Oppidorum, Villarum & locorum, Communitatibus, ac Rectoribus eorundem, cæterisque nostris ac sacri imperii subditis ac fidelibus, ad quos præsentis literæ pervenerint, gratiam Regiam & omne bonum.

Venerabiles, Illustres, Nobiles & Fideles dilecti.

Honorabilem Magistrum Johannem Huss. Sacræ Theologiæ Baccalareum & Artium Magistrum præsentium Ostensorem, de Regno Bohemiæ ad Concilium generale in Civitate Constantiensi celebrandum in proximo transeuntem, (quem etiam in nostram & Sacri Imperii protectionem recipimus & tutelam) vobis omnibus & vestrum cuilibet plenò recommendamus affectu desiderantes, quatenus ipsum, cum ad vos pervenerit, gratè suscipere, favorabiliter tractare, atque in his, quæ ad celeritatem & securitatem itineris ipsius pertinent, tam per terram quam per aquam promotivam sibi velit, & debeatis ostendere voluntatem, nec non ipsum cum famulis, equis & aliis rebus suis singulis per quoscunque passus, portus, pontes, terras, dominia, jurisdictiones, civitates, oppida, castra, villas, & quelibet alia loca vestra, sine ullâ solutione tributi, telonii, aut aliò quovis solutionis onere, omnique prorsus impedimento remoto transire, stare, morari, & redire liberè permittatis, sibiq; & suis, cum opus fuerit, de securo & salvo velit & debeatis providere conductu, ad honorem & Reverentiam nostræ Majestatis. Datum spiræ, Anno Domini M. CCCC. XIV. die Octob. XVIII. Regnorum nostrorum Hungariæ &c. Anno XXXIII. Romanorum verò V.

Ad mandatum Domini Regis

Michael de Pacest Canonicus Vratislaviensis.

Plura restant, modò non citanda propter temporis & chartæ angustiam, sufficiant adducta cum connexa experienciâ rerum accuratâ aliàs Magistrâ; Eo enim ipso, quò de facto Hæretici fides conceditur, probatur simul ac confirmatur, fidem Hæreticis certò respectu dari posse ac concedi.

§. II. An verò in fide hâc danda æquivocationem adhibere liceat ac reservationes, aliud longè intendentes, præter illud, quod coram vel ore profertur vel etiam literis consignatur, id meæ quidem rationi vix ac ne vix quidem persuadere possim. Eam quippe ob causam fides non datur, ut altera pars fidem datam recipiens infidiis quasi circumseptâ nullibi tranquillam habeat securitarem. Ita sane datur extrinsecè quidem fides, quæ ab intrinseco animi sensu quam longissimè distat, atque adeo vera fides dici ne meretur quidem. Fides ejusmodi *Parthis* adscribitur, videatur *Alexander ab Alexand.* lib. 5. c. 12. scribens: *Parthis fides est nulla, nisi quantum expedit, quibus utilitas semper est fide sanctior.* Ideo enim fides plerumquæ dari solet, ut securâ tranquillitas eum comitetur, qui fidem recipit, si videlicet debitam ei præstet obedientiam ac reverentur, à quo fidem datam accepit. Dices: Quid si verò Hæretico fidem datam susque deque habeat, nequæ morem Superiori gerat? Respondeo, violatâ fide ab inferiore, nullum est dubium quin à Superiori animadverti possit in violentem. At enim verò propterea æquivocatio non est adhibenda in fidei collatione, si enim sciatur atque perspectum sit, hæreticum fidem dandam esse nihili æstimaturum, tunc fides ei planè non est conferenda.

§. III. Dari autem in hoc negotio æquivocationis Patrones, exemplo eam suo comprobantes, vel exinde luculenter constat, quod salvus ille conductus *Johanni Hussi* promissus (si non ab Imperatoris parte tamen à parte Cleri Papalis) æquivocatione hac fuerit disruptus, non enim redire eum libere permiserunt, sed ad Clericorum insaniam ad rogam damnatus fuit ac combustus: En egregiam promissæ fidei observationem & apertum *Johannis Hussi* reditum! Cujus vel sola vestigia alios possunt terrere.

§. IV. Idem asseruit Cardinalis Hofius, qui Epist. 197. 202. 210. Polonorum Regi sequentia proponit: *Licet Rex juramento sit obligatus Poloniae ordinibus, æque se defensorum, Catholicos & Hereticos, tamen nullâ ratione teneatur ipse ad præstandum quod promiserit. Nunquam patiaris ullâ te ratione ad ea, quæ promissisti, servanda teneri, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis.* Citante hæc D. Gerbardo Tom. VI. de Magistr. Polit. Sect. 209. & Hospiniano lib. IV. Hist. Jesuwiticæ. cap. 1. Quamvis autem hæc à priori directè non agant de æquivocatione, à posteriori tamen abunde demonstrant, æquivocationem in ipsâ promissione defensionis, si non ab ipso Polonorum Rege fuerit adhibita, nihilominus tamen eam adhibendam fuisse. Si enim Rex non tenetur ad id præstandum quod tamen, se facturum, juramento confirmavit, vel maximè sequitur, illud juramentum esse irritum, vanum & obnoxium æquivocationi. Quod dicitur, *juramentum non esse vinculum iniquitatis*, probandum erat, hoc esse iniquum, si Magistratus aliquis Superior subditis suis, etiam Hæreticis defensionis jus conferat, juramentoq; confirmet, præsertim si subditus ille Hæreticus Magistratui obtemperet, eiq; morem gerat. Quod equidem absolutè probari non potest. Deinde positò, (non autem concessò,) illud esse iniquum, sanè non tenebatur illud juramento confirmare, quod iniquum est, si enim juramentum non est vinculum iniquitatis sequitur, de iniquis juramenta non esse præstanda. Si verò de facto præstitum fuerit, sciente tamen illam iniquitatem jurante, vel irritum est ac falsum, vel æquivocum. *Est proprium, inquit Cicero l. 2. offic. munus Magistratus, intelligere, se gerere personam civitatis debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, & ea fidei sue commissa meminisse.* Si verò excipiat: Pœnitere se promissi, ac proinde turpitudine iri commaculatum illud promissum, si servaretur, satius igitur fore ac consultius, ut ab aliquâ æquivocationis ratione promissum destruat, quam turpi modò observetur. Respondet Boxhornig lib. I. Instit. Polit. cap. 11. *Etiam hæreticis fides data servari debet. Fides enim vinculum reipublicæ, quò solutò, reipublicam quamq; dissolvi, necesse est. Nullus itaq; pretextus tanti putandus est, ut fides ob ipsam falli debeat. Frustra igitur quæritur: An Hæreticis data fides sit servanda?*

da? Si enim turpe est servare, turpius est, dedisse, si bonum fuit, dare fidem, sur non itidem bonum sit, eandem servare?

QVÆSTIO III.

An criminis alicujus reus, si à Judice vel Magistratu interrogetur, in respondendo uti debeat æquivocatione?

§ I. Crimina ferè infinita sunt, quibus hominum mens poluitur, & aliquem sibi attrahit reatum; proinde in distinctâ illorum enumeratione non erim9 occupati, hoc tantum in antecessum notaturi, criminis alicujus reum probè discernendum esse ab eo, qui criminis æquidem alicujus accusatus est, convictus autem minimè. Id quod è Sacrarum literarum Pandectis posset comprobari, (exemplo scilicet Josephi nec non Susannæ, impudiciæ accusatorum, quorum tamen animi Deo menti castissimæ, erant sacrati;) si instituti nostri ratio eò vellet confugere. Quibus præoccupatis, non de Accusato quocunq; verum de ejusmodi Accusato acturi sumus in hâc quæstione, qui criminis ipsius sibi attraxit reatum.

§ II. Dari autem æquivocationis hujus defensores strenuos juxta ac Patronos, subjunctæ quorundam opinioes confirmant, quas in Candidi Lectoris gratiam sum additurus. Toletus lib.V. de Instruct. Sacerdot cap.58. num.2. sequentibus sese exponit: *Ahuc in reo est secundum considerandum, puta, cum non juridice interrogatur, quibus verbis debeat respondere, quum verè crimen commisit! Et in primis certum est, posse appellare, aut non respondere: tamen tota difficultas est, si, cum cogitur, possit respondere: NON FECI. Et in primis certum est, non licere ei mendacium dicere, nam esset perjurus, & mortaliter peccaret in quocunq; casu, sed licet ei uti æquivocatione.* Illam verò æquivocationem ita à mendacio discernunt, ut non factum ipsum sive crimen patratum per verba: NON FECI simpliciter abnegetur, sed aliud intendatur quicquam, scilicet: Non feci illud crimen in hoc vel illo loco, bene tamen in animo reservatur, factum esse illud in alio loco. Quod si verò simpliciter abnegaret, quod commiserat factum, utique mendacii aperti sibi attraheret labem. Plura videantur de hac materia apud *Lessum* lib.II. c.31. dubit.3. num.10. seqq.

§ III. Quid verò vel quantum ponderis habeant ista *Toleti* verba, facile videbit, qui accuratius ea intuetur. Cur enim reus non teneatur ad interrogata respondere, præsertim si ipsa rei testetur conscientia de crimine patrato? Sanè si non pudit, crimen exsequi, nec



pudere debet crimen fateri, præsertim si in illud inquiratur. Neque video, pallium illud satis aptum esse, quò se tegere conatur Toletus, existimans, illam negationem non esse pro mendacio habendam, utpote quæ non tam ad crimen patratum, quàm ad hanc illamve, ejus circumstantiam referatur; siquidem reus inrerrogatur de ipso crimine, cui interrogationi directè respondere tenetur, non verò ad circumstantiam hanc vel illam, de quâ hæctenus nondum fuerat interrogatus. Proinde æquivocationis hujus finis apparet nullus, nisi qui Judici de crimine interroganti illudat protervè ac malitiam defendat. Enim verò illudere istius personæ dignitati, quæ regendi fasces Divinitus sibi habet commissos, non minus est peccatum, quàm mentiri. Fortasse pro sui defensione afferre posset reus, quod in sui conservationem hæc fuerit usus æquivocatione, quod si enim crimen ipsum candide sit confessus ac sincerè, dubio procul existimare potuisset, pœnâ se iri affectum crimine patratò dignâ. Enim vero si reus abhorret à pœnâ, suppliciumque fastidit, cur à criminis executione non fuit alienus? Illud sanè ignorare non debebat, quod non à legibus tantum, sed ab ipsâ etiam experientiâ rerum omnium Magistra fuerat edoctus, crimina patrantes pro delictorum ratione debitis pœnis affligi. *Improbo, inquit Cicero in Lælio, pœna statuenda est, nec minor verò iis, qui secuti erunt alterum, quàm iis, qui ipsi fuerint impietatis Duces.* Et lib. I. de Orat. *Verus, justus atque honestus labor honoribus, præmiis ac splendore decoratur, vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominis, vinculis, verberibus, exiliis, morte mutantur.*

§. IV. Impium verò ac minùs convenientem esse morem, quò æquivocatio hæc introduci debeat ac ceu licita defendi, vel exinde constat, quod (I) Veritati contradicat, quæ tamen enunciari debet ac propagari, quantum fieri potest. Nam *qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, ut, quæ reus est: ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat,* inquit Augustinus libro de agone Christi, & Hieronymus in Homil. *Nihil est ad defendendum puritate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius.* Ab iis non recedit Bernhard. de grad. hum. scribens. *Inquirimus veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In nobis, nos metipsos dijudicando, in proximis, eorum malis compatiendo, in sui natura, mundo corde contemplando.* Præterea enunciet homo reus contra veritatem & æquivocatione usus sese à pœnâ liberet, à reatu tamen

men liber omninò non est: neq; ab omni pœnâ absoluitur, etiam si crimen in publicum non prodeat, aut si ex parte manifestetur, factâ æquivocatione denuò occultetur, *Veritas* enim, (innuente *Seneca* in Troade) *nunquã latet*. Huic suffragantur Græci Comici, scribentes:

Ἀγριδὲ πρὸς Φῶς τὴν ἀλήθειαν χεῖνος.

At Veritatem tempus in lucem extrahit.

Ἀεὶ κράτιστον ἐστὶ τ' ἀληθῆ λέγειν,

Ἐν παντὶ καιρῷ, τὸτ' ἐγὼ παρεγγυῶ

Ἐἰς ἀσφάλειαν τῷ βίῳ πλείστον μέγος.

Est temporum omnium, vera proloqui, optimum.

Hoc facere adhortor, quippe quod sit roboris

Securè ad ævum transigendum maximi.

§. V. Plura adjicere possem, nisi jam adjuncta arbitrarer sufficere; illud tamen non negligam, quod impius ille æquivocationum usus. (II) præter veritatis abnegationem Judici Divino munere fungenti illudat, dum ad ejus quæstiones non respondet, nec ea enunciat, de quibus interrogatur; Id quod non humanæ tantum autoritati, sed Majestati etiam Divinæ debitum honorem detrectat, propterea n. judicandi potestas homini à Deo est tradita, ut ceu Dei Minister veritatem exploret, defendatq; ac falsa, delicta puniat. Si igitur coram humano Judice Dei personam gerente utitur æquivocatione, quidni etiam coram Deo, judice omnium supremo? Nonne hoc est, expressis verbis Deo ac hominibus contradicere? Nam qui semel à veritate deflexit, (ait Cicero pro Ros. Com.) *hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci consuevit. Et quæ pœna à Diis immortalibus perjurio, hæc eadem mendaci constituta est. Non enim ex pactioe verborum quibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidia ac malitiâ, per quam insidie tenduntur alicui, Dii immortales hominibus irasci ac succensere consueverunt.*

QUÆSTIO IV.

An in juramento æquivocationem liceat adhibere?

§. I. Magnum esse juramentorum pondus, in aprico est positum, quandoquidem conscientia ratio maximè est attendenda, & cavendum sedulò, ne stigma illi innuratur; quod si observarent æquivocationum Patroni, opinor sanè ac verè sentio æquivocationes in primis in jura mentis non tantò furore iri defensum, quantò eas tuentur Scholæ Põntificiæ addicti: In eorum citatione brevitate litabo, chartæ angustiam respiciens & materiæ prolixitatem. Non tamen me continere possum, quin *Toletum* lib. IV. de instruct. Sacerdot: cap. 21. adjungam, ita scribentem: *Qui petitus*

A. S. H.

à Superiore jurat tunc si Superior juridicè & justè juramentum petit, tenetur iste jurare absq; æquivocatione ad mentem judicis, licet verba, præbetur si verò contra justitiam petit potest uti æquivocatione, & jurare secundum propriam mentem, contra mentem judicis verbi gratia: *Judex petit juramentum ab aliquo, ut dicat crimen vel proprium vel alienum.* Si Judex habet criminis testem unum fide dignum aut semiplenam probationem aut infamia est talis criminis, quia reus habetur jam hujus criminis infamatus, tunc tenetur jurare verum secundum mentem judicis si verò omninò est occultum, non debet jurare, & si cogatur, utatur æquivocatione puta, *NESCIO*, intelligendo intra se, *ut tibi dicam* & simile. Plura videntur apud Meisnerum Phil. Sob Parte III. & l. cap. 7. pag m 231. sqq. Robertum Sanderfon. in libello de juramenti Promiss. obligatione prælectione 6. Sect. 3. 4. 5. p. 176. seqq.

§. II. At enim verò opiniones istæ cum infimo superstructæ sint fundamento, non evincunt quod evincere allaborant; juramenta enim ideo exiguntur ut veritas luci publicæ commendetur; Egregiè autem veritas manifestatur si scilicet æquivocationum usui locus datur. Certè profectò ad Judicis mentem est jurandum, non verò ad jurantis intentionem. Nam *Quacung; arte verborum quis juret, Deus tamen, quia conscientia testis est, ita hoc accipit sicut ille, cui juratur, intelligit.* Verba sunt satis egregia Isidori de Summo Bono Lib. I. Quam æquivocationem aversatus est Alexander, qui statuerat Lampfacum diruere, ad id tendenti cum Anaximenes ventret obbiam extra muros deprecaturus suæ civitatis perniciem, Alexander suspicans quid esset petiturus juro, inquit me non facturum, quod petet Anaximenes, Tum Anaximenes, peto, inquit, ut Lampfacum diruas. Captus erat Alexander, & jurejurando compulsus est servare, quod demoliri statuerat, ERASMO lib. 6. Apophth: referente Ex quo constat, Lampfaci conservationem unius prudentiæ, at alterius dexteritati & candori admirando mentis esse adscribendam. Quod si enim juramento suo æquivocationem voluit inesse, certe plurimas limitandi rationes habere potuisset, dum vero perspectum habebat atq; exploratum, juramento magnam inesse vim, Lampfaci delicta condonare, quam juramento dato fidem detrahere malebat.

§. III. Minus rectè æquivocationes in juramentis adhiberi posse, rationibus non infirmis stabilitur. Nā. (I) pugnant æquivocationes ejusmodi cum juramenti natura, quæ veritatem exigit, & Divini Numinis gloriam auget. At quomodò veritas manifestetur per ejusmodi reservationes mentales, hætenus nondum constat. Divini Numinis gloriam ne citabo quidem, eū è doloso hoc æquivocationum usu detrimenti plus capiat, quam honoris. (II.) Conscientia jurantis graviter oneratur, ut perpetuos cruciatuū stimulos sentiat magna enim vis est conscientia in utramq; partem, ut neq; timeant qui nihil commiserint & pœna semper ante oculos versari putent qui peccaverint Cic. pro Milonei Quod vero conscientia cum æquivocatione jurantis oneretur graviter, non longâ opus habet probatione, jurans utpote ad Judicis mentem jurare debet, non verò ad suam, falso autem jurat, si suæ ipsius menti indulgeat, & juxta eam juret, quæ tamen longè intendit aliud, quam judex requirit. Si falso jurat, conscientiam habet sauciatam, & Tibulli verbis exclamare potest:

Hei mihi! Difficile est, imitari gaudia falsa,

Difficile est, tristi fingere mente jocum.

Nec bene mendaci risus componitur ore,

Nec bene sollicitis ebria verba sonant.

Hi sunt malæ conscientia fructus quos nisi metere velit quispiam caveat, ne seminet in æquivocationem. Plura visurus Consulat Robertum

Sanderfon. loc citato.

S. D. G.

Errorum Genitrix est Aequivocatio semper:
Dicitur a Logicis, dicitur idque bene!
Doctrinae ratione valet Canon iste probatus,
Et Vita Praxin dirigit usque bona.
Utilis ad Gnosin, simul utilis ipse habetur
Ad Praxin: juvat hinc aequivocare nihil.

Hac WERCKMEISTERUS tractat conamine docto:
Sic Verbo & Facto, vite probatus erit.
Johannes Deutschmann / D. P. Acad. Rector.

Der falsche Wort-Betrug hat überhand genommen
In dieser falschen Welt. Wo bleibt die alte Treu
Und deutsche Redlichkeit? So weit ist's leider! Kommen/
Daß sey im Deutschland auch gemein die Heuchelen.
Vor diesem hat es recht ein Wort/ ein Mann geheissen:
Ist redet man ein Wort/ und bleibt doch nicht darbey.
Wie diß gelehrte Blat es klärlich wird ausweisen/
Wohl dem/ der ohne falsch von Wort-Betrug ist frey!

Dieses sonne so willig / als billig
M. JOH. Peißker / P. L. Cæs. Birtenb. Schul-Rector.

ΓΩΙΝΕΑΝΙΣΚΩΙ ΒΕΛΤΙΣΤΩ. ΠΕΡΙ ΤΗΝ ΦΙ-
ΛΟΣΟΦΙΑΝ ΕΠΙΜΕΛΗ ΔΙΑΤΡΙΒΟΝΤΙ ΓΩΙ-
ΑΠΟΚΡΙΘΕΝΤΙ ΣΟΥ ΑΝΘΡΩΠΙΝΩΣ
ΠΡΟΣΦΩΝΕΙ
M. JOHANNES Dünnehaupt.

Eάνπερ ἡ σπερδὴ καὶ ἡ τῶν γραμμάτων τῶν φιλο-
καλλιόνων ἐπιμελής ἐρευνία τῆς τῶν Νεανίσκων
θυμῆς ποιῆ φιλοπόνος, ἐκείνος ὑψῶν καὶ ἐν τῷ ἐπαίνε
ἀκμῇ τιθεῖς, ἀληθῶς πισεύω, ὅτι καὶ σὺ τοιαύτην
τὴν τιμὴν λήψῃ. Γνωσὸς γάρ μοι ἐκ πρώτης γενέσεως
ἡ σπαργάνωνος γέγονας, ὡς ἐμετὴν τῷ βίῃ σε δια-
γωγὴν σπερδῆς τε καὶ τῶν ἐθῶν κατὰ σάσιν καλῶς εἰ-
δέναι

δένα καὶ ὀρθῶς· Ὅτι γὰρ ἐν διδασκαλείοις τοιῶτ' ἔ-
γένονας, ὅς ἀπὸ Πάντων σε Διδασκάλων ἔπαινων εἴ-
ληφας καὶ τιμὴν. Πλείονα σιωπάω, ἵνα μὴ γίνωμαι
ἐγγλωττογάρῳ. Τῆτο μέντοι ἀνεμμένως προσο-
μολογέω, ὅτι ὁ βί' ἔ σε πάντα τὰς ἐπιφανεσάτας
μετάμ' θαυμασῶς εὐφραίνοι, ἢ γὰρ σε διανοίας εὐ-
γνωμοσύνη ἐσὶ φανερά, ἢ ἂν καὶ παρ' ἐχθρῶν δαρ-
δάπεται, ἢ κατατρίβεται ὁμῶς. Εὐφραίνω, ὅτι ὁ
θεός σοι εὐνοικῶς ἔχει, καὶ τὴν σπερδὴν σε εὐλογεῖ,
Προσάτας καταλάττων, τὴν καρδίαν σε παραμυ-
θμένως. Σπεῦδε, σπερδὴν ἔχειν περιτῶν τεχνῶν καὶ
γραμματῶν, τὸν νῦν σε προσέχων, ἵνα μεγάλης τῆς
δόξης τυγχάνης. Επιγηθέω γὰρ σοι, ὅθ' ὄραω, σε
ἐν φανερά τῇ καθεδρᾷ φιλοσοφῶντα, καὶ ἢ μόνον ἐ-
πιγηθέω σοι, ἀλλὰ καὶ τῇ καρδίᾳ με συνήδομαι τῆς
εὐτυχίας, ὅτι ἡ ἀσκησίς σε καθ' ἑκάστην ἡμέραν μεί-
ζως λαμβάνει ἐπιδόσεις· Πόν' ἔ τῆς δόξης ἀξίός
ἐσὶ καὶ ἔπαινος. Πράττε νῦν, ὄφρα τὴν τῶν φιλοσό-
φων καθεδρᾷ ἀναβαίνης, τῆς φύσεός σε κράτη φα-
νερώσων, εἶδω γὰρ, ὅτι πάντα καλῶς εἶναι, καὶ τὰ τῶ
θυμῶ σε ἀνθημέλει διασκευάζειν· Εγὼ ἔδεν ποιή-
σω, ἀλλ' ὅτι συγχαίρω σοι τῆς σπερδῆς, Ὁ θεός ἀ-
γιώτατ' ἔ τὰ γράμματά σε εὐλογοῖ, ἵνα ἀνώτερον
προσαναβαίνης, καὶ τῶ θεῶ δόξα αὐξάνηται, ἐπειδὴ
συνεχῶς καθ' ἀγίξης, θεῖα τὰ ῥήματα διδάσκων. Εἴ-
ταῦτα πράξαις, ἢ μητήρ σε μετὰ πάσης τῆς οἰκίας
χαρήσει. Μηνὶ Ουδῶν Ἐνιαυτῶ α·χ·ω·η.

Sic

Sic commendat opus Musarum castra sequentes,
Cum virtute sua vincere falsa queunt.
Falsa fugas, veri sacra dum vestigia quaris,
Hinc verè ex omni parte beatus eris.
M. ELIAS WEIHENMAJERUS, Ulmenfis.

Madrigal.

Das Werck muß seinen Meister loben/
Wenn die geschickte Hand
Apellis ihre Proben
Am Bilde hat erwiesen/
So wird von stummen Mund ein Künstler selbst gepriesen.
Ein Kunst-verliebter Geist/
So in der Musen Thun beherzt die Probe weist/
Der wird als M E Z S E R recht erkandt;
Zumahlen wenn die That
Das kluge Meister-Stück
Selbst die Vollkommenheit zum Redner hat/
Mein werther Freund sein fleissiges Studiren
Macht/ daß er würcklich kan des M E Z S E R S Titul führen.
M. Christian Fuchs / von Schneeberg aus Meissen.

I.

Der falsche Heuchel-Schein/
So aus verfluchten Herzen spielet/
Und nur auf arge Lügen zielet/
Wird überall gemein/
So daß die Schmincke schöner Worte
Sich gleichet einer Schlangen-Pforte.

II.

Drum werther Landesmann
Beginnt er wider ihn zu streiten/
Die Tugend stehet ihm zur Seiten/
So geht es glücklich an/
Der Himmel trenne falsche Lügen/
So kan die kluge Weisheit siegen.
Joh. Dietrich Müller / Quedl. Phil. & SS. Th. St.

Madrigal.

WEr an der Keuschen Brust
Erhitzter Karthinnen lieget

Und seine Lust

In ihren *Nectar* suchet/

Der lebt nach seinem Wunsch vergnüget ;

Zwar die verdammte Schlangen = Welt/

So edlen Weisheits = Golde fluchet/

Hat ihren Zweg gestellt

Auf Heuchelen und giftigen Betrug ;

Doch muß die Niedlichkeit

Aus ihrer Grufft erwecket werden/

Wie diß gelehrte **WEDER** von seinem **MESSEN** schreyt/

Die Tugend macht klug/

Und segnet deine Sinnen/

Daß dieses Meister = Stück was grosses kan beginnen.

Wohlmeinend schrieb es

Conrad Friedrich Kollman / von **Croppenst.** aus **Sachs.**

Ph. & SS. Theol. Stud.

WEr seinen Diamant in gültone Tugend prägt/

Und die gelehrte Brust an Hippocrenen nezzet/

Dem hat der Himmel schon ein Ehren = Mahl gesezzet/

Und solche Perlen sind ihm längst bengelegt.

Christian Friedrich Kuff / aus **Pommern.**

Phil. & SS. Theol. Stud.



85852

ULB Halle
005 363 56X


3



VD 77







B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

11

7.
ORUM
ATIONE,

LEUCOREA,
LOSOPHORUM
DULTU,

DIO
S Dünnehaupfz/

o-Saxonis,
ol. Cultoris & Alumni
ralis,

R. clb lbc XXCIIX.
dumbrata

hilosophorum
feret

EN R. Werkmeister/

ensis - Saxo,
dios.



ERGÆ,
SCHULTZII.

